

R. P.

Domno Jo. Mabillon

Viro Clar.

S. P. D.

Jo. Schilter.

**N**on dubito Vos meas unà cum interpretatione Rhythmi Ludoviciani per Dn. Smidium nuper accepisse, ex quo limam Vestram atque censuram lubens præstolor. Interea quum exhibitor harum, ex Scholis nostris egressus, doctrinâ, studio antiquitatis, & modestiâ se omnibus commendans, Cos. Wenkeri filius, ad Vos excurrens, à me commendatitias peteret, nefas duxi eas ad TE cum primis denegare: præsertim quum insuper hoc argumentum superiori commentatiunculæ adjiciendum ratus, nimirum an ex idiomate linguæ conficiatur, non intelligi ibi Regem Franciæ Occidentalis, sed Orientalis; si enim Regi Fr. Occid. carmen hoc fuisset decantatum oblatumve, non in ista lingua Francica Orientali, sed in lingua Provinciali sive Franciæ Occidentalis jam tum propria fuisset confectum, quippe quæ jam tum vi-gebat non tantum in Aula Regia, sed etiam in communi, uti vel ex formulis fœderis & juramenti inter Ludovicum I. Regem Franciæ Orientalis & Carolum fratrem R. Fr. Occid. patet, tum Reges tum subditos diversis linguis usos. Sed de hoc judices. Vale & fave. Dab. raptim XIV. Cal. Maj. M DC XCII.

Clariss-